

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA

DE

EO, QVOD IYSTVM VIDETVR

CIRCA

APPELLATIONEM A STA-
TIBVS IMPERII EVANGE-
LICIS AD IMPERATOREM

IN

CAVSIS ECCLESIASTICIS,

QVAM

MAGNIFICO VNIVERSITATIS RECTORE,

DN. CONRADO WILHELMO
STRECKER, JCTO,

EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS ELECT. MOGVNT. CONSILIARIO
REGIMINIS, IVRID. FACVLT. ET IVD. ELECT. PROVINC. ASSESS. SENIORE, COD.
PROF. PVBL. ORD. CIVIT. STND. ET CONSULE PRIMARIO, NEC NON PRÆ-
FATE FACVLT. IVRID. H. T. DECANO,

EX DECRETO ET AVCTORITATE

AMPLISSIMI JCTORVM ORDINIS

IN ILLVSTRI ET PERANTIQVA ELECTORALI VNIVERSITATE
ERFORDIENSI,

SVB PRÆSIDIO ALTISSIMI
PRO LICENTIA

SVMOS IN VTROQVE IURE HONORES AC PRIVILEGIA
RITE AC LEGITIME CONSEQVENDI,

PVBLCÆ ERVDITORVM CENSVRÆ SVBMITTIT


AVCTOR

JOANNES TOBIAS CRAMERVS,

ADVCC. ORDIN. SVINFVRTHENSIS.

IN AUDITORIO IVRIDICO COLLEGII MAJORIS
DIE XXIX. JVLII, M DCC XLIII.

ERFORDIÆ, Stanno HERINGIANO, Acad. Typogr.



DISSERTATIO IN AUCTORITATE IUSTITIAE

DE
FO, QVOD IUSTITIA VIDEAT

DE

APPELLATIONEM A STA

LIBVS IMPERII EVANGELI

LICIS AD IUSTITIAM

DEO,

PATRIÆ,

PATRONIS,

FAVORIBVS

ATQVE

AMICIS.

AMPLISSIMI IUSTITIAE

UNIVERSITATIS HANNOVERENSIS

IN

THEATRINO AULICO

PRO LICENTIA

STANOS IN THEATRINO HANNOVERENSIS

THEATRINO AULICO

THEATRINO AULICO

AVDIT

JOHANNES THOMAS

AVDIT

IN THEATRINO AULICO

THEATRINO AULICO

THEATRINO AULICO



PRÆLOQVIUM
AD
BENEVOLUM LECTOREM.



Ommunem Juris Publici Do-
ctorum opinionem esse, quod
in causis Ecclesiasticis à stati-
bus Imperii Evangelicis ad Im-
peratorem sive summa Impe-
rii Tribunalia appellari haud possit, quo-
tus quisque est, qui nesciat? Postquam
igitur in hac Dissertatione inaugurali me-
cum constitui, contrariam & affirmativam
sententiam pro ingenii viribus defendere;
facile divinare possum, multos futuros esse,
A
qui

qui objecturi sunt, quod argumentum suscepim admodum arduum variisque nodis involutum. Verum enim vero, quia, cum Viennæ ante aliquot annos supremam ibi Imperii Themidem adorandi gratia aliquandiu versatus fui, ibique Aula Cæsarea sæpe numero in ejusmodi causis mandata, Rescripta, plenariosque Appellationis processus decrevit, ex Actis tantas rationes, quæ pro affirmativa me penitus convicerunt, legi, has ad ventilandum proponere, neutiquam dubitavi, spe fretus, fore ut, licet non omnium tamen aliquorum inveniant assensum. Interim meritò doleo, quod libris istis, qui vel maximè subsidio mihi esse poterant in hoc argumento, carere debebam. Nam in tanta Publicistarum multitudine, qui Jura Imperatoris in sacris Protestantium ex fontibus suis plenè & peculiariter instituerit, hætenus, quod mihi constet, repertus est nemo, ut igitur mirum adeo non sit, multa imperfectione laborare hunc ingenii
 factum;

foetum; quos tamen defectus Candidus Lector benevole condonabit. DEUS T. O. M. dirigat ea, quæ conor, ad felicem exitum, Vale!

DEUS annue cœptis!

§. I.

DE eo, quod justum videtur circa Appellationem à Statibus Evangelicis ad Augustum Imperatorem in causis Ecclesiasticis, mihi nunc acturo, omissis rubri nostri definitionibus nominalibus, nimirum Etymologia, Homonymia, & Synonymia, utpote ubivis obviis, non nullas quæstiones præjudiciales & ad rem maximè quadrantes paucis discutiendi, subque examen antea vocandi, quam ipsum problema nostrum aggrediendi animus est.

§. II.

Opinio videlicet erronea 1) intuitu personarum, 2) rerum Ecclesiasticarum, sive spiritualium, ratione inita, deprehenditur.

§. III.

Intuitu personarum diligenter despiciendum erit, quo respectu Status Evangelici Jus circa sa-

era exercent, Jurene Episcopi, an verò Jure superioritatis territorialis? Prius uno quasi omnium ore Augustanae Confessione addicti Clerici consentitur: Quin planè in ipsis etiam Protestantium Consistoriis communem istam opinionem alicubi tam altas egisse radices videmus, ut vix ac ne vix quidem eradicari iterum posse videatur.

§. IV.

Summâ quippe animi reverentiâ apud A. C. Addictos plerumque serenissimus Episcopus noster audit; At, ni fallor, minus rectè, nisi novum Ecclesiasticum admittere velimus.

§. V.

Sanè in sensu Juris Pontificii, Episcopi nomine Dominus territorialis indigitari nequit, cum neque à Cæsare neque à summo pontifice, vel à subditis ad id munus vocatus probari possit, aut rectius juxta Instrum. P. W. & Concord. N. G. à Capitulo electus, à pontifice confirmatus & à Cæsare eo nomine investitus sit. Quanquam per se Jurisdictio secularis cum veri Episcopi ut talis munere pugnet, & sacrae scripturae non adeo conveniens videtur, quando dicitur: Vos autem non sic &c. neque in primitiva Ecclesia ita factum dici queat. Præterea potestas Ordinis, Lex Dioecesana, Jurisdictio & dignitas eodem ac apud Romano Catholicos Jure ad principem vel superiorem Dominum, qua
Epi-

Episcopum, neutiquam quadrant. Imò verò ne veri quidem Administratores Episcopatum, qui apud Protestantes restant, & quibus vox Episcopi magis competit, à Romano-Catholicis pro veris Episcopis habentur, sed multis modis ab iis discernuntur, v. g. dum propter impedimenta canonica, tantum postulati Episcopi & Administratores dicuntur, in Comitibus Imperii separato scamno utuntur, nec cætera eadem, qua Episcopi Romano-Catholici omnia requisita Canonica habentes, auctoritate gaudent, de quibus vid. SCHILTER *Inst. Jur. Can. Lib. 1. Tit. 7. §. 6. & 9. ibique citati.*

§. VI.

Multo minus juxta Nov. Testam. & principia Evangelico-Lutheranæ Ecclesiæ Dominus Territorialis Episcopi nomine insigniri potest, quando etiam quilibet eo sensu Presbyter seu Pastor ovium suarum, quarum curam gerat & inspectionem, sit Episcopus, per Actor. XX. v. 28. Neque obstat, superiorem Dominum curam Ecclesiæ externam & inspectionem in personas æque ac res ecclesiasticas habere, quum id ea propter duntaxat fieri constet, ut omnia ordine & decenter fiant, neque in statu civili turbæ exoriantur. Porrò non obest, Dominum Territ. Jura Episcopalia vi Instrumenti P. W. exercere posse, quia Jura ejusmodi exercere, & verum Episcopum esse, toto, quod ajunt, cœlo differunt, siquidem à potiori

munus veri Episcopi ad id ordinati, inque verbi divini prædicatione, sacramentorum administratione &c. consistens, nihilominus à Domino Territoriali omnimodo remotum sit. Immo multa absurda exinde alias sequerentur ratione Reginarum, aliarumve foeminarum Principum, vel Episcoporum, Statutumque Imperii diversæ religionis subditis imperantium.

§. VII.

Quocirca nec universaliter verum, sed potius eodem sensu accipiendum videtur, quod SCHILTERVS *l. c. §. 3. in fine* inquit: Consistoria magis gaudere Jure Episcoporum, & Jurisdictione, Superintendentes solum notione aliqua particula Juris Episcoporum. Sicuti enim notio sola Jurisdictionem contentiosam ecclesiasticam minime constituit, verum insuper aliæ duæ partes essentialis jurisdictionis requiruntur, videlicet sententiæ dictio, ejusdemque executio, ita nec Consistoria potestate propria, sed aliena, puta Domini territorialis gaudent, unde sequentia fluunt consuetaria:

- 1) hujus jurisdictionem ecclesiasticam esse realem seu patrimonialem, Consistorii autem jurisdictionem personalem & administratorem;
- 2) hanc posse impediri per avocationem causarum & commissiones, non vero istam;
- 3) hanc

3) hanc esse dependentem, illam autem independentem, habito saltem ad Consistorium respectu.

Proinde insigniter errant quidam Theologi docentes, ipsum Dominum territorialem suo subesse Consistorio, cum Jus sacrorum non Consistorio, sed unice Domino territoriali in Legibus Imperii fundamentalibus adscribitur.

§. VIII.

Rectius itaque & Legibus Imperii fundamentalibus magis conforme est, dicere: Principem & Superiorem Jus circa sacra exercere Jure superioritatis territorialis. Unde iterum sequitur, Dominos territoriales Evangelicos non esse Episcopos, & Consistoria eorum esse secularia, de quibus videantur Domini Consilarii LANGGVTHII *Animadvers. in Cocceji Jurisprud. publ. ad §§. 29. & 38. Cap. 13. Sect. 1. & §. 15. Cap. 22.* Consistoria quippe apud Protestantes, Principem non qua Episcopum, sed qua Dominum territorialem representare, certo certius est, & liquido apparet *ex Instr. P. O. Art. 5. §. 30. & Art. 8. §. 1.* Ad hæc decisio cujuslibet controversiæ forensis unice ad Magistratum profanum ceu tranquillitatis & pacis publicæ custodem pertinet, adeoque propter causam efficientem secularem, Consistoria quoque non tam pro Judiciis Ecclesiasticis, quam potius
pro

pro secularibus habenda sunt, discretis solummodo causis personisque inter judicia secularia atque ecclesiastica vulgo sic dicta. Nimirum Statuum Protestantium nil interest, utrum causa aliqua referatur ad Judicium Ecclesiasticum, an vero seculare, quia utrumque ab eorum arbitrio & potestate dependet. Longè vero secus res se habet in terris Ecclesiæ Romano-Catholicæ, vide sis Capit. Carol. VI. art. 14.

§. IX.

At enim verò dirutò ità murò illò aheneò, & divinò quasi si Diis placet principiò, negando scilicet Episcopi veri nomine Dominum territorialem venire posse, sed potius unice ipsi Jus circa sacra competere Jure superioritatis territorialis, nunc penè totum Clericorum A. C. Additorum Chorum nobis obloquentem audimus, perinde quasi, supposito eò de ipsorum legitima ordinatione actum & conclamatum esse videatur. Sed oppidò salva adhuc res est. Præterquam enim quod Jus ordinandi neque Domino territoriali, neque Ecclesiis, sed apud Protestantes tantum Presbyteris competit, qui eò utuntur exemplo Apostolorum, neque Ordinationem Juris divini neque Sacramentum esse, neque per ordinationem Ordinato donum extraordinarium Spiritus Sancti conferri statuunt, siquidem ordinationem præcise præceptam non esse pluribus contra SCHILTERVM de Ordinatione defen-

defendere conatur Dn. BOEHMER. *in addit. b. T. item in origin. Cap. XI.* neque per Ordinationem Ordinato imprimi characterem indelebilem & intrinsecum, sed potius debilem atque extrinsecum, adeoque per depositionem ordinati extingui dicunt. Adeoque unice ad constitutionem Ministerii sacri, uti antea dictum, juxta saniora principia Protestantium sufficit presentatio Patroni & confirmatio Domini Territorialis, juxta cum approbatione Parochianorum: licet non negarim, in praxi, praeripis Saxonica, ordinationem ferè pro essentiali parte ministerii sacri haberi. Interea autem temporis ordinationem per se ut Ceremoniam solennem ac ritum laudabilem, eò quod Apostoli illò usi sint, & Ecclesia constanter in hoc ritu ipsos imitata fuerit, praeripis Ordinationibus Ecclesiasticis ita disponentibus, meritò adhuc hodie retinent, add. SAM. PUFFENDORFFII *Tract. de habitu religion. ad statum §. 39. p. 114. seq.*

§. X.

Altera quaestio praerjudicialis, rerum Ecclesiasticarum, seu uti vocantur, spiritualium ratione inita, enascitur. Ubi statim apud omnes in confesso est, in foris protestantium praeter verbum divinum & Sacramenta, causas Spirituales in sensu Juris Canonici planè ignorari, neque res Ecclesiasticas, quae apud Romano-Catholicos spiritualium

B

nomine

nomine veniunt, judiciis profanis exemptas agnoscere, sed quascunque controversias super quibuscunque sive profanis sive ecclesiasticis rebus, ad secularem spectare potestatem. Sicuti verò ob verbum divinum & Sacramenta, quæ re verâ res spirituales sunt, jurisdictionem ecclesiasticam à civili distingui necessarium nequaquam est, propterea quod illa docentur & administrantur, nullo modo autem invitis apud Protestantes coactione externâ adhibitâ, quæ Jurisdictionis nervus quasi & anima est, obtruduntur; Ita parili modò omnes causæ ecclesiasticæ in disceptationem forensẽ venientes, Judicia profana sequuntur, qualis enim causa, talis etiam effectus sit oportet, proinde & Dominum territorialem Judicium Ecclesiasticum à seculari distinctum constituere non valere, supra probatum dedimus. Omnis namque Jurisdictio & Justitiæ administratio tranquillitatis externæ causa exercetur, cujus cura unicè juxta dicta principia ad imperium civile spectat. Accedit, quod nulla earum causarum, quæ vulgo ad jurisdictionem Ecclesiasticam referuntur, ita, comparata sit, ut à Judice seculari cognosci & sententia terminari nequeat, sed quælibet potius jurisdictioni civili subsit, sive personas ecclesiasticas, quæ cum bonis suis imperio civili obnoxii vivunt, sive res ecclesiasticas, ut prædia, nomina, decimandi, ministros ecclesiæ con- & infirmandi Jus, atque connubiales controversias

versas &c. quæ omnia ad negotia resque seculares
pertinent, respiciamus.

§. XI.

Hiscæ itaque præmissis, nunc in facili nobis
erit dijudicare, quid iustum videatur circa Ap-
pellationem à Statibus Evangelicis ad Augustum
& summa Imperii Tribunalia in causis Ecclesiasti-
cis. Etenim quum

- 1) supra pluribus audivimus, Principes & Sta-
tus Protestantes comprehensâ liberâ Impe-
rii Nobilitate, non in qualitate Episcopi, sed
unice Jure superioritatis Territorialis Jus cir-
ca sacra exercere, eorumque Judicia ecclesia-
stica à causa efficiente merè esse secularia &
sic hætenus Evangelicos, non æque ac Epi-
scopos Romano-Catholicos supremæ curiæ
Rom. in causis ecclesiasticis unice subjectos,
contra Jurisdictionem summorum Imperii
Tribunalium secularem validè excipere posse.
- 2) Evangelicos Juris Canonici Decreta hac in
parte non admittentes, nullas causas spiri-
tuales sive ecclesiasticas, Judiciis secularibus
exemptas agnoscere, sed potius statuere, omnes
omnino lites super quibuslibet sive profanis
sive ecclesiasticis rebus ad secularem spectare
potestatem, etsi nonnullas causas sic dictas

ecclesiasticas ad separatam Judicium puta Confessorium, ob negotiorum multitudinem plerumque à superioribus translatas esse notum sit; Et tandem

- 3) Ipsam Jus circa sacra Statibus Evangelicis solummodo vi Juris territorialis competere, & Jurisdictionem, uti vocant ecclesiasticam cum superioritate hac territoriali nexu plane indissolubili, cæteris paribus conjunctam, uti non modo ex supra citato Instrumento. Pacis liquet, sed & omnes meæ opinioni, quod nimirum in causis Ecclesiasticis à Statibus protestantibus ad summa Imperii dicasteria provocari possit, contradicentes Juris publici Doctores uno ore fatentur, conf. *Dom. LYNCKER §. 3. de super. Sacr.* SCHILTER *Jur. publ. Lib. 1. Tit. 24. §. 4.* KLOCK, *vol. 3. Consil. 146. n. 18.* COCCEJ, *Jur. publ. c. 18. n. 38. § C. 22. n. 15.* BYRGOLD *ad Instr. Pacis p. II. d. 17. n. 4.* *Dom. SCHWEDER part. spec. Jur. publ. Sect. 2. C. 12. n. 7.* universam autem Statuum Imperii Evangelicorum potestatem territorialem à Cæsare & Imperio, uti nemo negabit, dependentem & subalternam esse. Hinc non video, quid obstat, quo minus provocatio sæpius dicta etiam in causis ecclesiasticis, cum Jus circa sacra Statuum protestantium sit pars Juris territorialis, ceu licita atque satis fundata dici,

ci, & saltem quoad veritatem theoreticam locum habere queat; Id quod etiam celeberrimus Dom. TEXTOR, cujus ingenium & insignia in rempublicam literariam merita, totus literatorum orbis agnoscit, quam solidissime defendit *in suo Jure publ. Caesar. Tit. 11.*

§. XII.

Et quod Status Imperii Evangelici quoad Jus circa sacra nullam independentem, uti plurimi v. g. RHETIVS *de Jure Stat. circa sacra C. 5. n. 18.* STRYCK. *de Jure pap. Princ. Evang. C. 2. §. 10.* ZECH. *Europ.ischer Herold p. 534.* FELTM. *de Tit. honor. Lib. 1. c. 66. n. 12. & Lib. 2. c. 29. n. 14.* erroneè statuunt, sed tantum subalternam habeant potestatem; Inter alia etiam vel ex hoc unico elucit, quando Dissidentium DD. cumulus ipse negare nequit, quod Illustrissimum Consilium Imperiale Aulicum in causis ecclesiasticis propriè talibus, v. g. Jure Patronatus &c. toties judicandi facultatem habeat, quoties lis est, inter duos Imperii Status, superiorem, nisi Imperatorem & ejus suprema Imperii Dicasteria haud recognoscentes, vel quando minimum reus immediatè imperio subiectus est, id etiam probatur non solum ex Instrum. Pacis Westph. *art. 5. §. 52. & 54.* conf. Visitatio Consilii Imp. Aulici, ibi in dijudicandis causis Ecclesiasticis vel politicis &c. sed etiam ex Ordinat. Judicii Imperial.

rial. *Aulici Tit. 1. §. 2. ibi: &c. Sowohl Geist als Weltliche Sachen &c. item Tit. 5. §. 21. ibi in Erkännniß über Geist- und Weltliche Sachen &c.* sanè si suprematum quoad Jus circa sacra haberent, & Papæ, uti à superius citatis DD. appellantur in suis territoriis in ejusmodi causis ecclesiast. forent, Judicium Imperiale Aulicum non agnoscerent Judicem.

§. XIII.

Equidem me non latet, communem opinionem à prædictis tribus singularibus, at non suis fundamentis destitutis argumentis, quæ Dom. LANGGVT in *Animadvers. ad Coccej. Prudent. Jur. Publici Cap. 32.* ex Dom. Assessoris de LVDOLPH *Comment. de Jure Camerali, Sect. 1. §. 14. n. 31.* defendit, communem inquam opinionem (quam Bodinus, Coccejus, Hornius, Thulemarius, Ludovici, alique magni nominis Jcti sequuntur) recedere, & negativè decisam esse: Quorum igitur rationes singulas in præsentiarum, paucis, pro ratione instituti scilicet, hic discutere, operæ pretium erit.

§. XIV.

Nimirum communis illa opinio, quæ Statibus Protestantibus comprehensa liberâ Imperii Nobilitate, vi superioritatis territorialis in suis territoriis omnia Jura, cum Episcopalia, tum papalia

lia competere afferitur, fundat se in Pace Osna-
brug. Art. V. add. COCCEJ. d. l. C. 22. §. 15. & C. ult.
§. 8. ubi in causis ecclesiasticis Status Evangelicos
nullum Judicem, sed potestatem absolute sum-
mam habere ait, eò quod tota Jurisdictione Eccle-
siastica cum omnibus suis speciebus suspensa atque
sublata fuerit per Pacem Osnabrug. Art. 5. v. *Jus
diocesatum* 48. Enim verò accuratori mentis in-
dagine textum huncce peruestigaturo statim appa-
rebit, nihil minus quàm supremum Jus in Eccle-
siasticis ibi Statibus Evangelicis concessum, sed id
solum dici, summi Pontificis & Episcoporum Ju-
risdictionem Ecclesiasticam in territoriis Protestan-
tium usque ad compositionem dissidii religionis
generalem suspensam esse; ex converso autem Ju-
risdictionem Ecclesiasticam Evangelicis vi Instrum.
Pacis concessam, non eatenus, quatenus Episco-
porum Catholicorum jurisdictione ob Jus dioecesana
antea porrigebat, extendi, sed potius intra
terminos territorii cujusque manere debere.

§. XV.

Non verò obstant, quæ porro COCCEJVS l. c.
aliquæ hic ulterius urgent, nullam tunc aliam ju-
risdictionem supremam Camerae, vel Regis fuisse
substitutam. Tametsi enim de explicita ejus sub-
stitutione nihil expresse cautum sit in Instrum. P.
W. implicitam tamen & tacitam exinde deduci
posse,

posse, necessario sequitur, propterea quod superioritas territorialis, cui Statuum Jus sacrum accessorii instar connexum, & subalterna ac dependens sit, præterea etiam Statibus Evangelicis nulli illud jus circa sacra NB. nisi Jure territoriali, seu ut partem territorii, atque ita subalterne & dependenter duntaxat concessum reperimus, per §. quantum deinde 30. ibi cum ejusmodi Statibus cum Jure territorii & superioritatis, & §. territorii Jure 43. Art. V. atque Artic. VIII. §. II. J. P. O. (quæ, quod contra Thulemarium notemus, necessario connexa sunt) adeoque non potest inde sequi, etiam in causis Ecclesiasticis, quæ juxta Protestantium principia rectè pro secularibus habentur, supremum Imperatoris judicium esse fundatum.

§. XVI.

Multo minus ex altero loco pro fundamento opinionis contrariæ allegato, Jus supremum Evangelicorum in Ecclesiasticis probari potest, videlicet ex pacis Religion. transactione (coepa in alma Patria Suinfurthi & Noribergæ 1532. SLEIDANVS Lib. 8. BERGOLD ad J. P. W. part. II. disc. 17. n. 4.) Passavii Anno 1552. repetita, & 1555. in Comitibus Auguitanis confirmata. Ibi enim nihil aliud nisi pactum Cæsarem inter & Status Imperii conventum legimus, quò A. C. Constitibus cautum,

cautum, ipsorum fidem ac religionem nullò imposterum tempore via facti aut vi armata impediri neque ipsorum ordinationes & Ceremonias Ecclesiasticas, bona & regalia vel quasi Jure hæcenus possessa, per Mandata aut aliò quocunque modò infringi debere, ipsam autem religionem controversam non nisi amicabili & Christiana compositione definiri debere, poenâ fractæ pacis publicæ in contravenientes statutâ, per *R. l. de 1555. §. und damit &c.* Per hancce ergò conventionem neutiquam prohibitum dici potest, quo minus Cæsarea Majestas vel summa Imperii Tribunalia ipsas sic dictas eorum causas ecclesiasticas litigiosas ac devolutas supremo jure, cæteris paribus, decidere queant.

§. XVII.

Nullius idcirco momenti manent, nihilque probant, neque vim Juris habere possunt Respon-
sa quarundam facultatum Juridicarum in contra-
rium decisa atque collecta à Gunt. Thulemario in
Responso Juridico super quæstion. An in causis
canonicalibus & præbendariis ad Judicium Impe-
riale Aulicum possit appellari, tantum abest, ut
contra Leges Imperii fundamentales supremæ Cæ-
sareæ Jurisdictioni hic quicquam detrudere va-
leant. Neque animum subit admiratio, ibidem
insuper in nonnullis excelssimi hujus Dicasterii
C præ-

præjudiciis, jurisdictionem, pro qualitate causarum & circumstantiarum, minus fundatam dici, cum omnes illi casus per querelæ magis simplicis, quàm Appellationis modum eò perperam utique devoluti fuerint. Præterea non obest nostræ sententiæ, Instrumenti P. O. & hujus §. Jus Diocel. interpretationem authenticam ad solum Imperatorem vel ad excelssimum illius Aulicum consilium, quippe quod solummodo juxta Leges Imperii judicet, per Juramentum *derer Herren Reichs-Hof-Räthe* in Ordinat. Ferdinandi III. relatum, sed tantum ad Comitia Imperii & Conventus universales pertinere, vigore Articuli V. *s. utriusque religionis so. J. P. O.* ibi sed si dubii quid, it. *s. Gaudent. art. VIII.* Quid enim interpretatione nova opus erit super verbis luce meridiana clarioribus, & quando toties quoties dicitur: Jure territoriali & ut annexum superioritatis territorialis Jus circa sacra interim apud Evangelicos manere debere, quum præsertim regula perpetua est: Quicquid Status Imperii possident Jure superioritatis territorialis, illud habent Jure subalternò & dependenter, uti nullum sanioris Juris publici Germ. & quotidianæ praxeos Imperialis vel mediocriter gnarum latere poterit.

§. XVIII.
 Objicitur denique ex Instrum. P. O. art. V.
 §. I.

§. I. æqualitatem utrinque exactam ita non servari: sed respondeo: omninò eam sic adesse, si Evangelici Imperatorem in Ecclesiasticis sicut Romano-Catholici vicissim Papam supremum agnoscunt Judicem; ut taceam planè aliam verborum horum esse significationem, scilicet eam, quod Jura Episcopalia utriusque religionis partibus ex æquo utrinque Jure competere debeant. Ad ultimum non sicco prætereundum pede, sententiam omnium etiam dissentientium communi calculo approbatam eò redire, quod suprema Imperii tribunalia quoad lites Ecclesiasticas inter Status ipsos movendas, fundatam habeant jurisdictionem, uti expressis verbis constitutum est *in §. 53. art. V. J. P. O.* ibi:

„ Cæsareaque Majestas mandabit, ut
 „ non solum in isto Judicio Camerali
 „ NB. Causæ Ecclesiasticæ, ut & politi-
 „ cæ (utriusque religionis partium) ad-
 „ jectis ex utraque religione pari nu-
 „ mero Assessoribus, discutiantur & ju-
 „ dicentur, sed idem etiam in Judicio
 „ Aulico observetur.

Unde suâ sponte cadunt, quæ Dn. LVDOVICI *in Processu Consistoriali Cap. 6. §. 27. seqq.* ibique citati ulterius objiciunt, ut puta ideo nullam Cameræ

esse posse jurisdictionem Ecclesiasticam, quia ante & post fundatam Cameram supremum Jus circa sacra penes summum Pontificem fuit; Cæsarem autem juxta principia suæ religionis Romano-Catholicæ in causis spiritualibus Judicem non esse, neque plus Juris in Judicium suum Aulicum transferre posse, quam ipse habeat. Quodsi itaque summa Imperii Dicasteria causas Ecclesiasticas Imperii Statuum ipsorum discutere valeant, quæ tamen longè majoris momenti sunt, cur non & similiter causæ illorum subditorum Ecclesiasticæ leviores, apud Evangelicos pro merè secularibus haberi solitæ, juxta expressum tenorem Instrumenti P. O. & religionis Protestantium principia, ab iisdem in secunda instantia decidi poterunt. Reliqua argumenta dissentientium ejusdem farinae sunt, atque ex hæcenus dictis facile corruunt, vel nullo saltem negotio displodi possunt.

§. XIX.

Vela itaque nunc contraho, & quoad factis, nō fallor, pro instituto scilicet demonstratum fuisse existimo, Cæsareæ Majestati etiam in Ecclesiasticis, inter protestantes, adhuc jurisdictionem, juxta Protestantium principia & Ordinationes Ecclesiasticas dirigendam, & supremum superesse vel ad minimum non ex vano defendi posse imperium, adeoque validissimis rationibus concludendum videri:

deri: Quod Appellatio à Statibus Evangelicis ad Augustum ejusque Judicia suprema, in causis etiam Ecclesiasticis, quoad veritatem theoreticam omnino locum invenire queat. De Praxi nostræ assertionis Imperiali pro me loquuntur sat multa præjudicia, in talismodi causis à prædictis summis Tribunalibus publicata, & a Dn. de MOSER in speciali Tractatu collecta; Interim coronidis loco unum alterumve saltem exemplum in medium proferre haud erit illicitum. Sic enim in causa quadam Canonicali atque præbendaria, in *Sachen Donop contra den Ahrbeyligen Lehn-Fiscalem zu Her-vorden*, Appellationis processus sunt decreti; Id quod etiam ab atefata Camera die 14. Jan. 1727. in causa *Meyerin* contra *Meyer* in puncto matrimonii & appellationis, pleni appellationis processus sunt decreti. Plura hujusmodi exempla hic adducere, nec temporis nec chartæ angustia permittit; Itaque nil superest, quàm ut specimen hocce juxta principia Protestantium editum benevolo Lectoris committam judicio; Summo autem Numini pro præstito auxilio sit laus, honor & gloria.

T A N T V M!

78

(11)

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

23

24

25

26

27

28

29

30

31

32

33

34

35

36

37

38

39

40

41

42

43

44

45

46

47

48

49

50

51

52

53

54

55

56

57

58

59

60

61

62

63

64

65

66

67

68

69

70

71

72

73

74

75

76

77

78

79

80

81

82

83

84

85

86

87

88

89

90

91

92

93

94

95

96

97

98

99

100

TAVI

(00)




ERfurt, Diss., 1742/44

ULB Halle 3
005 355 400



W078



DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA

DE

S. Tg. num. 25.

EO, QVOD IYSTVM VIDETVR

CIRCA

1743, 7a

11

APPELLATIONEM A STA-
TIBVS IMPERII EVANGE-
LICIS AD IMPERATOREM

IN

CAVSIS ECCLESIASTICIS,

QVAM

MAGNIFICO VNIVERSITATIS RECTORE,

DN. CONRADO WILHELMO
STRECKER, JCTO,

EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS ELECT. MOGVNT. CONSILIARIO
REGIMINIS, IVRID. FACVLT. ET IVD. ELECT. PROVINC. ASSESS. SENIORE, COD.
PROF. PVBL. ORD. CIVIT. STND. ET CONSVE PRIMARIO, NEC NON PRÆ-
FATÆ FACVLT. IVRID. H. T. DECANO,

EX DECRETO ET AVCTORITATE

AMPLISSIMI JCTORVM ORDINIS

IN ILLVSTRI ET PERANTIQVA ELECTORALI VNIVERSITATE
ERFORDIENSI,

SVB PRÆSIDIO ALTISSIMI
PRO LICENTIA

SVMOS IN VTROQVE IVRE HONORES AC PRIVILEGIA
RITE AC LEGITIME CONSEQVENDI,

PVBLCÆ ERVDITORVM CENSVRÆ SVBMITTIT

AVCTOR

JOANNES TOBIAS CRAMERVS,

ADVOC. ORDIN. SVINFVRTHENSIS.

IN AUDITORIO IVRIDICO COLLEGII MAJORIS
DIE XXIX. IVLII, M DCC XLIII.

ERFORDIÆ, Stanno HERINGIANO, Acad. Typogr.



ih
as,
ffi
ur
il
bil
ur
a
ri
ar
Go
l.
II.

Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black